Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26003
Copyright: Admont, Benediktinerstift

eos multi sunt qui sequuntur illum. uident et nesciunt quod querant. id est credunt quidem ut sic uideantur in illum.
sed nesciunt cuius ipsi sint. uel quam intentionem habeant. qui confitentur inquit apostolus se nosse deum. factis autem
negant. et cum labiis Christum honorent. cor eorum ab ipso longe est. Possunt enim et Christum sequi et fidei pro
fessione. et aliud quam Christum querere. immo possunt et in uestimentis ouium incedere. et intrinsecus
lupi rapaces esse. Sic iudas cum ceteris apostolis Christum sequi potuit. et aliud querere. uocari apostolus. et diabolus esse.
predicare uel baptizare. et fur dominicorum loculorum sceleratissimus esse. Sic et symon magus potuit bapti
zari et in felle amaritudinis esse. potuit fidem Christi confiteri. et tamen nullam in sermone hoc partem aut
sortem habere. Sic pene cottidie tanti cum electis reprobi ecclesiam intrant. ut pre multitudine illorum ualde
parua uideatur quantitas electorum. quemadmodum in magno aceruo nisi propius accedas uix grana parent pre multitu
dine palearum. Quia ergo non uno cuncti animo Christum secuntur. recte nunc ipse his qui illum primi sequebantur dicit.
Quid queritis. Quod dictum quotiens audimus. nos ipsi ad cor nostrum respicere debemus. nostramque singuli interroga
re conscientiam. ut sciamus qua Christum intentione sequamur. Quod enim duobus illis dicit. omnibus dicit. Id si uere
Christum querimus. et ubi ipse est illic et nos esse uolumus. tunc desiderium nostrum et preparatio cordis nostri hoc in auribus
eius loquitur. Rabbi quod dicitur interpretatum magister. ubi habitas. Bene enim dicimus magistrum illum uocantes.
qui de disciplina eius sumus. dum reuera deum querimus. Dicimusque illi ubi habitas. dum superna cogitamus patriam.
ubi sedet ad patris dexteram. clarificatus claritate quam habuit priusquam mundus esset apud patrem. qui incola et
peregrinus in hoc seculo cum esset. non habebat ubi caput suum reclinaret. Hec recordatus sum inquit psalmista. et
effudi in me animam meam. quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum dei. hoc et nos
recordari debemus. quicumque confessione fidei Christum sequimur. ne per intentionem uanam remaneamus cum illis
de quibus ipse amen dico uobis inquit receperunt mercedem suam. Quibus item psalmista refugiens assimilari.
unam petii inquit a domino hanc requiram. ut inhabitem in domo domini omnibus diebus uite mee. hoc autem
iugiter petentibus et hoc modo dicentibus ubi habitas. fiet aliquando quod sequitur. Dicit eis. uenite et uide
te. Ac deinde subiungitur. Venerunt et uiderunt VBI MANERET.
TVNC enim dicit. uenite et uidete. quando mentem per adiuuantem gratiam bene meritam in contemplatio
ne subleuat. et celestibus gaudiis ad horam admittit. ut dulcedinem illam gustare preualeat. quam
oculus non uidit. nec auris audiuit. et in cor hominis non ascendit. Ita ueniunt et uident ubi mane
at. eisque uidentibus creatoris habitationem angusta est omnis creatura. Quorum unus ut ipse ait raptus est usque
ad tercium celum. raptus est usque in paradysum. et audiuit archana uerba que non licet homini loqui. Et multi sanctorum quidem
diuersa gratia gloriam regni in quo ibi habitat pregustantes uiderunt. hic autem tanta gratia uocatus est ad uidendum.
ut nesciret utrum extra corpus sit omnino eductus. an in corpore manens solummodo per extasyn fuerit sub
leuatus spiritus eius. sicut ait ipse. siue in corpore siue extra corpus nescio deus scit. Sane hoc iuxta litteram preterie
undum non est quod sequitur. Et APVD EVM MANSERVNT DIE ILLO.
OPORTVNA quippe determinatione usus est dicendo. die illo. Non enim tunc relictis omnibus illum
secuti sunt. neque extunc semper cum illo manserunt. sed tantum die illo apud eum manserunt. et uerba gratie que
procedebant de ore eius familiariter audire ceperunt. Hic enim nondum tradito iohanne ut supra dictum est